

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Illvstrivm Virorum Epistolae, Hebraicae, Graecae et Latinae, Ad Ioannem Reuchlin Phorcensem virum nostra aetate doctissimum diuersis temporibus missae

Reuchlin, Johannes

Hagenoae, 1519

Georgius Hermonymus Spartiates natione graecus S. D. P. Ioanni Reuchlin Phorcensi. Aurelianas habitanti

[urn:nbn:de:bsz:31-270838](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-270838)

EPIS. ILLVST. VIRORVM AD

Georgius Hermonymus Spartiatis natione
græcus. S. D. P. Ioanni Reuchlin Phorcensi.
Aurelianas habitanti.

Proximis diebus mirifice delectatus sum suauissimis literis
is quas & pulchre & eleganter ad me scripsisti. Quare ego ut sa-
tisfacere officio meo, decreui paucillis tibi respondere, ne si
forte ad te scribere omitterem, tu ipse iure optimo condemnares
me crimine ingratitude, quo apud Persas nullum grauius aut
acerbius teste Xenophonte puniri solet, sed ut ad rem redeam. Tu
mi Ioannes recte facis literis græcis operam dando, non enim mi-
nus ornabunt te q̄ literæ latinæ. Nosti enim sententiam Flacci poe-
tæ celeberrimi, uos exemplaria græca nocturna uersate manu, ac
sate diurna. Da igitur operam libris græcis, tu qui tali ingenio præ-
ditus es, & ἄλλὰ ἀπὸ πάλιν ὀνυχῶν ut aiunt optimis disciplinis atq; artib⁹
institutus es. Mitto ad te introductionem grammatices Theodori.
De λεξικῶ autem, meum non est, sed amici cuiusdam, precium erit
scuta sex. Fabulas quas in camera mea uidisti non sunt uenales. Ha-
beo tamen manu mea scriptas, quæ erunt ad beneplacitum tuum.
Si dictionarium esset in potestate mea, facerem tibi placitum, quæ
admodum & in grammatica feci. Vale feliciter. Ex urbe Parisio-
rum die. viii. Feb. Anno. M. cccc. lxxviii.

Demetrius Chalcondyles Atheniensis, Ioanni Reuchlin
Phorcensi Iurisperito. S. D. P.

Doctissime ac præstantissime uir, legi libenter literas tuas,
quibus puerum optime indolis fratrem tuum nobis com-
mendas, quibus & animum tuum ingenuum & opinionem
minime uulgarem cognoui. Quod enim puerum tam karum & tã
tenera ætate procul a patria & a complexu parentũ tuoq; miseris,
eruditionis ac doctrinæ causa, non sine magna impensa & multis
incommodis ac sollicitudine animi, non mediocrem mihi facit ad-
mirationem, hac præsertim ætate nostra, in qua literarum studia
iacere uidentur, cum ignauia & ignorantia principum, tum maxi-
me cupiditate hominum circa quæstum, quem omnibus bonis ar-
tibus maior pars hominum anteponit. Sed tu non hos homines sæ-
culi nostri imitatus, uerum illos ueteres præclaros & ingenuos ui-
ros tam græcos q̄ romanos secutus, qui longas peregrinationes,